



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De ministracione sanctissim[a]e Eucharistiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

De ministracione sanctissimæ
Eucharistia:

HOC institutum Parochus perpetuo seruare studeat: vt quod antiquissimi ritus est, intra Missarum solennia post sanguinis sumptionem præbeat sacram communionem: cum tamen non nunquam accidat, vt etiã extra Missam præbenda sit.

Cum celebrata Missa sacram communionem statim ministrat, vestibus sacerdotalibus, quibus in Missa usus est, indutus ministrabit, casula tantum deposita, & manipulo item.

Si verò alio tempore extra Missarum solennia; tum superpelliceo, & stola rubra vtitur.

Eum verò ordinem in sacra communionem ministranda seruabit, vt primò sacerdotibus, si qui aderunt, qui illam sumant; superpelliceo, & stola instar Crucis antè pectus composita indutis; deinde clericis pro ordinis gradu, superpelliceo tantum indutis; postea verò laicis maribus, tum foeminis, nullo discrimine conditionis habito.

Locis præterea distinctis ministrabit; nempe clericalis ordinis hominibus in gradibus altaris; at laicis, tam maribus quam foeminis loco remotiori aliquantò ab altari.

Præparatas habebit hostias, prout numerus est fidelium, qui sacram communionem suscipient; sed plures etiam, quam eorum numerus est.

Erunt hostiæ rotundæ, non quadræ, non angulares, recentes, iusta magnitudine, integræ, non fractæ, non incisæ, nec verò dimidiatæ, tanquam fragmenta hostiæ maioris: tales item, ex quibus fragmenta facillè non fiant.

Pixidem paratam habebit, quæ pro communicantium numero particulas capiat: nam patenam non adhibebit, cum amplius sex sunt, qui communicant.

Altaria vbi ministratur, luminibus collucebunt.

Clerici adsint duo cum superpelliceo, quæ pixidi supposita mantilia sustentent.

Diaconi præterea duo, aut subdiaconi, vel saltem clerici, qui purificationem, & mantile præbeant.

Vinum ad purificationem faciendam;

quod album si fieri possit, adhibeatur: & aqua item quibus opus sit. vtrumque in vasis nitidis, vsq; vitreis, vel crystallinis, & ei vsui tantum additis.

Ne verò ad capiendam elemosinam occasione sacre communionis vas exponat, aliove modo vtatur.

Quæ obseruentur post communionem.

HÆC verò Parochus præterea fideles monebit.

Vt ne posteaquam sacram communionem sumpserint, ab Ecclesia statim discedant, sed permaneant in oratione, quantum fieri possit, quieto & remoto loco: proindeq; certam aliquam precandi rationem illis indicet; rudioribus, vt ter, aut quinquies, Pater noster, & Ave Maria dicant: alijs, pro eorum captu, rosarium Beatæ Mariæ Virginis: alij orationes in officio eiusdem beatæ Mariæ Virginis depositas, quæ inscribuntur, Orationes, post communionem, & quæ S. Ambrosij sunt, præsertim indicet, & ante & post communionem.

Monebit etiam, vt reuerenter glutiant; vt benè se purificent; ne statim sputant, sed per quartam saltem horæ partem à sputatione abstineant.

Si verò necessitas coget prius spuerè, id in loco saltem fiat à pedibus prætereuntium remoto.

Ne præterea statim cibum capiant, sed dimidia post sumptam sacram communionem, aut saltem quarta horæ parte. Vt animi cogitationes, sensus omnes, & linguam cohibeant: abstineantq; præcipue eo die à verbis otiosis, cogitationibus inanibus: sed in sanctis meditationibus, precibus, diuinorum officiorum frequentia, ecclesijs etiam frequentandis, alijsq; pietatis officijs atque operibus versentur.

Vt deniq; assistant Christo hospiti sanctissimis exercitationibus atque actionibus: à profanis autem negotijs & secularibus abstineant: quod si non omnino possunt, curent tamen à sancta communionis sumptæ meditatione, & sui iustitia custodia non alienari.